Quelle: http://manuscripta.at/?ID=900
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Is enim damasus romanae urbis episcopus laude dignus vir ammirabilis. semper ornatus dicere atque facere. per apostolicis dogmatibus cuncta festinans. post liberium gubernacula suscepit ecclesiae. Direxit ergo imperator cum huiusmodi lege etiam saporem quendam tunc nominatissimum militiae principem. et arrianae quidem blasphemiae praedicatores veluti quasdam bestias. divinis septis iussit expelli. optimis vero pastoribus et sacris ovilibus universa restitui. Haec ergo in universis provinciis decrevit observari. Socrates

GRATIANUS itaque cum iuniore valentiniano regno potitus ab exilio revocatis omnibus. legem sanxit. ut unaquaeque religio licenter sacra celebraret. solos vero ab ecclesiis prohibuit. eunomianos. fotinianos. et manicheos. III.

Tunc ergo in antiochia quae praesidet orienti. contentio huiusmodi causa provenit. Cum apostolicis dogmatibus laborantes sicut iam dictum est erant divisi. et alii propter calumnias irrogatas eustachio. arrianam abhominati vesaniam. apud semetipsos sacra celebrantes. paulinum habebant antistitem. Alii vero post ordinationem euhoii cum meletio convenientes. eius doctrinae fruebantur. Ad haec autem appollinaris laodicenus. alteri partis semet praesulatum assumpsit. Qui dum pietatis indueret vultum. et apostolica se fingeret dogmata conservare. post paululum manifestus hostis apparuit. De divina namque natura. ad ulterius utebatur rationibus. gradus quosdam generans dignitatum. et sacramentum dispensationis imperfectum explanare presumens. animamque rationalem quae corpus regit. privatam salute confirmans. Si enim animam non assumpsit secundum illius rationem deus verbum. neque medicinam praebuit. neque honorem dedit. sed corpus quidem terrenum. ab invisibilibus virtutibus adoratur. anima vero secundum divinam imaginem facta. in inferiore permansit. contumeliis induta peccati. Qui plurima super haec vesanus asseruit. Aliquando etenim pariter confitebatur et ipse ex sancta virgine assumptam carnem. aliquando vero eam cum deo verbo caelitus descendisse. aliquando enim ipsum factum carnem sumpsisse nihil ex nobis. aliasque plurimas et inanes fabulas sacris promissionibus copulabat. quas in praesenti dicere superfluum iudicavi. Talia siquidem ille dicens. non solum suos complevit peste. sed etiam quosdam nostrorum fecit huiusmodi lepra participari. Post paucum vero tempus dum suum videret opprobrium. et ecclesiae claritatem. pene cuncti reversi sunt. et communionem ecclesiasticam percipere meruerunt. non tamen priorem deposuerunt languorem. sed magis plurimos constantium latenter sauciaverunt. Ex hac ergo radice in ecclesiis germinavit. una carnis deitatisque natura esse. ut divinitati unigeniti passio copuletur. et alia quaecumque populis et sacerdotibus certamina genuerunt. Sed haec quidem postea facta sunt. Tunc ergo veniente sapore magistro militiae. et ostendente principis legem paulinus quidem fatebatur se damasi esse participem. permittebat